



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Abbati Sancti Andreae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

nitiois ad personam ejus à Capitulo facta, cum in privilegio quod à prædecesfore nostro idem Capitulum dicitur impetrasse, fiat mentio de comminatione canonica præmittenda, volumus computari. Illud autem omnino frivolum reputamus, si qui fortè se dicant ex donatione regia quasdam ex illis obtinuisse præbendis, quasi regalis sublimitas tempore suspensionis Archiepiscopi præbendas ipsas sua potuerit auctoritate conferre. Abbates autem prædictos, si post appellationem ad nos legitimè interpositam confirmationis & benedictionis beneficium susceperunt, canonicè punias, ne alij eorum exemplo contra Prælatos suos supercilium elationis assumant. Datum ut suprà.

ABBATI SANCTI ANDRÆ.

Epist. 61.  
Quod excommunicatus, in quo fuerunt signa poenitentiae, & per eum non stetit quin reconciliaretur Ecclesie, habendus est pro absoluto.

Cap. A nobis.  
De sententia excommunicati.

**A** Nobis est sæpe quaesitum, utrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint poenitentiae manifesta, nec per eum steterit quò minus reconciliaretur ecclesiasticae unitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus, & utrum pro tali recipienda sit elemosyna, & à fidelibus sit orandum. Ut autem quod intendimus per suppositionem exempli apertius exprimamus, quidam Presbyter & Canonicus regularis, sicut per tuas nobis literas intimasti, cum publica laboraret infamia quòd ad quandam conjugatam accederet, maritus mulieris & consanguinei ejus in eum manus injecerunt temerè violentas, propter quod per Episcopum denunciati sunt excommunicationis sententiae subjacere. Verùm ipsi postmodum ad eundem Episcopum accedentes, præstito in manus ejus quòd parerent judicio Ecclesiae corporaliter juramento, in mandatis receperunt ab ipso quòd propter hoc apostolico se conspectui præsentarent. Cumque unus illorum se ad iter accingeret veniendi, à quibusdam suis æmulis est peremptus, & extra cœmiterium Ecclesiae tumulatus. Et licet contra interfectores amici & consanguinei interfecti graviter sint commoti, eis tamen omnem rancorem remitterent & offensam, dummodo interfecti cadaver traderetur ecclesiasticae sepulturae. Videretur igitur forsitan in hoc casu quibusdam, quòd cum sacramentum non necessitatis articulus sed contemptus religionis excludat, &

judicium Ecclesiae divinum debebat judicium imitari, cum etiam in interfecto prædicto manifesta poenitentiae signa præcesserint, & propter hoc absolutus apud Deum esse credatur, absolutus etiam ab Ecclesia sit habendus. Sed è contrario, cum ex sola culpa ligetur quis, quoad Deum, apud triumphantem Ecclesiam, ex sola verò sententia ligetur, quoad hominem, apud Ecclesiam militantem, quando vinculum culpae remittitur, absolvitur apud Deum, sed apud homines non absolvitur, nisi quando vinculum sententiae relaxatur. Alioquin Ecclesiae absolutio nullatenus necessaria videretur, si in sola cordis contritione, præter sacerdotale officium, rigor relaxaretur ecclesiasticae disciplina. Nos igitur consultationi tuae de communi fratrum nostrorum consilio breviter respondemus, quòd judicium Dei veritati, quae nec fallit, nec fallitur, semper innititur: judicium autem ecclesiae nonnunquam opinionem persequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli, propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus. Vinculum ergo quo peccator ligatus est apud Deum, in culpae remissione dissolvitur. Illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur. quòd in suscitacione Lazari sermo evangelicus manifestat, quem prius Dominus suscitavit, & Apostolis præcepit postmodum solvere suscitatum. Vnde quantumcunque prædictus se, juramento præstito quòd Ecclesiae mandato pareret, humiliare curaverit, quantumcunque in eo poenitentiae signa præcesserint, quia tamen morte præventus absolutionis non potuit beneficium obtinere, quamvis apud Deum absolutus fuisse credatur, nondum tamen apud Ecclesiam habendus est absolutus. Potest tamen & debet ei Ecclesiae beneficio subveniri; scilicet ut cum de ipsius viventis poenitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat quòd Ecclesiae legitur attributa potestas ligandi & solvendi homines super terram, tanquam non possit solvere & ligare sub terra sepultos, & quòd legitur, *Non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo; cum etsi communicatum non fue-*

rit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus religionis sed necessitatis articulus impedivit, & in certis casibus à canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos & solvisse. Ut autem in uno pariter eodemque negotio & servemus rigorem & mansuetudinem ostendamus, statuimus ut illius mortui absolutio à sede apostolica requiratur, qui, cum viveret, ab apostolica sede fuerat absolvendus. Aliorum autem absolutionem ex præmissa causa ceteris indulgemus, à quibus, cum viverent, fuerant absolventi. Absolutionis autem forma servetur, ut fiat cum pœnitentia Psalmo, & tam oratione dominica quam alia consueta. Heredes tamen ipsius ad satisfaciendum pro ipso, si communitio- nem præmissa noluerint, per districtiorem ecclesiasticam compellantur. Datum Laterani II. Nonas Maij.

NOBILI VIRO L. DE MONTE  
Longo consobriño nostro.

Epist. 61.  
Ve inveniam thesaurum con-  
ferret, donec  
Pontifex suam  
voluntatem de-  
claret.

Cum gratiam nostram, quam tibi potes cognoscere multipliciter fructuosam, universis debeas hominibus anteferre, & neminem quantum personam nostram diligere & vereri, de discretione tua cogimur admirari quòd, sicut dilectus filius G. aurifex Alatrino in nostra præsentia constitutus asseruit, tu ab eo xj. libras argenti puri, quas filij sui in dotem receperant à quodam homine Montis S. Iohannis, qui thesaurum invenisse proponitur, abstulisti, & permisisti eum ab alijs taliter molestari, quòd coactus est iij. marchas & unam unciam nuncio dilecti filij nobilis viri Iohannis de Certan. persolvere, ac totidem marchas Pelagio Alatrino, Matthæo Adenulphi, & Philippo unam libram & decem uncias, decem etiam & novem uncias Consuli Alatrino; cum ignorare non debeas, quòd sic inventus thesaurus, dispositioni nostræ debuit reservari. Inde est quòd discretioni tuæ sub obtentu gratiæ nostræ præcipiendo mandamus quatenus omni mora & excusatione postpositis, argentum prædictum, qualitercunque expensum sit, studeas rehabere, ipsumque reserves fideliter, donec nostræ recipias beneplacitum voluntatis. Illos autem qui argentum ipsum habuisse noscuntur, nisi tibi celerius curaverint resignare, auctoritate nostra confidens, & eorum præsumptionem cum fidelibus

studeas, sicut convenit, castigare: quia sic nostra iurisdicção deperiret, si in patrimonio Ecclesiæ, quod nostrum est, alij præsumptione qualibet occuparent. Illos etiam qui thesaurum invenisse noscuntur, ad assignandum illum dispositioni nostræ quanta potes districtione compellas, eis ex parte nostra promittens quòd si paruerint humiliter & devotè, congruè sibi \* providere. Datum Lat. V. Idus Maij.

SENONEN. ARCHIEPISCOPO.

Inter sollicitudines nostras illa debet esse præcipua, ut capiamus vulpeculas quæ moluntur vineam Domini demoliri, species quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum. Hi sunt namque caupones, qui aquam viño commiscent, qui virus draconis in aureo calice Babylonis propinant, qui juxta verbum propheticum arcum rem amarum intendunt, ut sagittent innoxios in occultis, quorum error serpit ut cancer, ita quòd nisi botrus in flore lædatur, fructum non solum amarum sed etiam pestiferum germinabit. Hos Apostolus egregius prædicator in epistola sua propheticæ sermone describit & docet omnibus modis evitandos: contra quos sacerdotes tubis argenteis clangere debent, ut conclamante populo, arca fœderis præcedente, muri corruant Hierico, quæ jam fuerat perpetuo anathemate condemnata; ita quòd si quis ex ea vel regulam auream furari præsumperit, cum Achor filio Charmi lapidibus obruatur. Tu ergo, sicut vir providus & discretus, veri pastoris adimple officium, & super grege tibi commissio purè ac plenè sollicitudinem pastorem exerceas, dum & legem Christi zelaris, & hæreticorum impugnans errorem, in fautores ipsorum exeris gladium canonicæ auctoritatis. Vigilans enim vigilas super grege tuo, ne relicto veri pastoris ovili, quod est unum, oves aberrant, post vestigia gregum, qui non sunt ex eo, temerè abeunt; vel ne lupus eas rapiat, & dispergat, quas veritas in eodem ovili sub uno pastore fidei catholice cœnivit. Inter præcipuos quidem vineæ domini Sabahor agricolas deputatus, vulpeculas, quas descripsimus, non pateris ejus speciem demoliri, sed eas vel capere potius fatagis, vel fugare. Sanè, sicut ex literis

Epist. 61.  
Ve Decanus Nivernensis de hæresi suspensus se purgare tamque abjurarè cogatur.  
Cap. Inter sollicitudines. De purgatione canonica.